



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 26. Jacobi-Lanfredini Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

ficinæ executione avertit, gravibus ver-
bis exponens, Deum, quem hic miser
adoraret, esse terribilem, hujus cru-
ciatus ad Eum vindictam clamatu-
ros, tantique Numinis iram mox eorum ca-
pitibus incubituram &c. His territi
latrones, Missionario abeundi copiam
fecere, quin tamen a cruentis suis gra-
sationibus desisterent; præterquam e-
nim, quod omnes Europæorum terras
per universam Coromandelis oram sua
ferocia emetirentur, insuper, quod pla-
ne omni crudelitate crudelius erat, te-
nellos infantes secum ad suas speluncas
abstraxerunt, sine omni eorum noxa abs-
dubio libertate, patria, & æterna sa-
lute privandos. Nec tamen omnino in-
ulta permansit eorum nequitia; quippe
Azefia Mogolitani Imperii Pro Rex cum
valido exercitu in eorum regionem ir-
rupit, & inhumanis illorum prædatio-
nibus frænum injecit.

§. XXVI.

Jacobi Lanfredini Cardinalis obitus.

Luxerat hoc anno sacrum Purpurati
Senatus Collegium mortem quin-
que Cardinalium. Hos inter primus
erat Jacobus Lanfredinius, qui patria
Florentinus ex Laurentio Patritio &
Constantia Zoti Parentibus die vigesi-
ma

Hist. Eccles. Tom. LXXVII.

F f ma

Sæc. XVIII.

A. C. 1741.

ma sexta Octobris anno evoluti sæculi octogesimo susceptus erat. Nec promerere tardabant in puero eminentis atque ad optima quæque aptissimæ intellectus matura indicia, ingenii acies, & indefessus, quantum per ætatem licuit, ascendendi ardor. Traditus ergo institutusque Carolo Bindio celebri Theologo necnon clarissimo Universitatis Florentinæ Professore Patri Andreæ Scholarum Piarum Sacerdoti postea Ordinis Generali: gemina hac ingenii cultu Jacobus noster tantum profecit, ut philosophicas & Theologicas disciplinas jam tum exhaustisse diceretur: superioribus tamen hisce literarum tenuis ingenii amplitudo circumscripta non potuit, nec debuit, sed Jacobus hanc rem omnigenæ eruditionis campum percursurus præter latinæ Græcæque litteras arti Poeticæ, & Rhetoricæ, atque Jurisprudentiæ, Historiæ tam sacræ quam profanæ, omnique literariæ doctrinæ assiduo studio vacabat. Cuius ergo Cosmus II. Magnus Etruriæ Dux de hoc Juvene summa quævis sibi preceretur, eundem Florentinæ Metropolitanæ Canonicatu auxit. At Jacobus non tam quid assecutus esset, sed potius quid assequendum restaret, secum reputans, forensibus causis sese addidit, eoque sine Pisas contendit, ut in his

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

Universitate sub Magisterio excellentissimi Josephi Averanii locupletissimum, quem jamjam hauserat, legalis scientiæ apparatus magis magisque auget. Ita aliquot annis apud Pisanos exactis tandem Canonicatu suo sponte abdicato Romam contendit, ubi sub egregii nominis Advocato Pomponio de Vecchis naviter mentem ad leges in actu usuque positas appulit. Brevi consummatissimus ipse evasit Causidicus, atque in foro perarduas egit controversias cum tanta eruditionis laude, ut ab ipso Etruriæ Duce suæ familiæ negotia Romæ procurare juberetur. Id vero in eo profusum erat singulare, quod inter tam crebras juxta ac periculosas exercitationes semper mores integerrimos & ad omnes æquitatis leges exactos conservavit, assiduis literarum studiis eximium Dei amorem ac proximi conjunxit, tamque effusam in pauperes liberalitatem exercuerit, ut maximum, quod ex pingui Advocati munere compendium referbat, omne in egenos, aliosque pios usus erogaret. Has vero largitiones omnino clam remoto omni arbitro faciebat, nonnunquam etiam interposita proborum hominum opera, ne ipse earum Author haberetur. Constitit tamen certo testimonio, quod una die piæ Missionis domui decem Ducatuum millia

Sæc. XVIII. millia donaverit; semper enim sibi par-
 A. C. 1741. cus erat, ut erga pauperes liberatio-
 esse posset, nulli etiam indulgebat in-
 titiæ, nulli animi relaxationi, sed vitam
 ducebat gravem, piam, severam. Emi-
 nuit insuper rara oris facundia, mentis
 candore, modestia, optimarum artium
 peritia, & rerum abditarum memoria
 singulari. Quapropter ejus doctrina ce-
 tatim omnes utebantur, præsertim Ce-
 dinalium spectatissimi, apud quos li-
 ditoris munere fungebatur: ab ipso
 tiam præfato Cosma Duce in patriam
 reverti, & primarii sui Auditoris of-
 cium subire, impense rogabatur; in te-
 men officiose recusabat, eo quod ingenui-
 sui dotes ad Ecclesiæ Romanæ ordi-
 quium dicere constitutum habuisse.
 Annum ætatis suæ jamjam attingens
 quadragesimum primum, cum Præ-
 ctura, quæ a suo Auctore Amosio
 nuncupabatur, auferetur; hanc tamen
 dignitatem non ex concedentis favore
 sed proprio eruditionis merito adeptus
 est; cum enim unacum pluribus
 Competitoribus sese examini submittere
 suæque doctrinæ cum ceteris publicum
 periculum faceret, suos æmulos longe
 superabat, tantaque scientiæ ubertate
 respondebat, ut ipsos suos examinato-
 res, quorum aliqui male interrogabantur,
 modeste quidem, argute tamen ad re-
 sponderent.

bitam reduceret. Obtenta hac dignitate delectabatur summopere, potissima ea ex causa, quod eidem annexa esset pauperum clientela, eorumque causis patrociniandi officium. Paulopost Congregationi Consistoriali, & de bono regimine adscriptus, in maximis Sacrae Sedis negotiis ab Innocentio XIII., Benedicto XIII. & Clemente XII. in fidei quoque controversiis adhibitus fuit, ubi plerumque suam sententiam scriptotenus, suppresso tamen nomine proferebat, nec unquam dabat, ut ejus consultationes, quantumvis doctissimae omnibusque numeris absolutae, typis ederentur. Anno hujus saeculi vigesimo octavo a Benedicto XIII. sacrae Pœnitentiariæ Canonista, ejusdem Tribunalis Datararius, *Signaturæ*, ut vocant, *gratiæ* Consultor, ac demum a Clemente XII. Canonicus Vaticanæ Basilicæ & S. Congregationis Concilii Secretarius renuntiabatur. Talem, tantumque demum Virum idem Pontifex sexto post anno S. Purpuratorum Collegio adscripsit, illumque tribus adhuc aliis Congregationibus adjecit. Ne vero præclari hujus Præfulis opera fidelium gregi deesset, ipsum Auxitanæ Ecclesiæ Episcopum dixit, in cujus Ecclesiæ & Diœcesis sedula administratione Lanfredinius maxime emicuit; quotannis enim ipse suam

Sæc. XVIII.
 A. C. 1741.

Sæc. XVIII
A.C. 1741.

suam Diæcesin lustravit, quinque Synodos Diæcesanas habuit, & saluberrima, quæ prelo vulgata extant, decreta condidit, scripsit etiam epistolæ Pastorales ad Clerum suum. Eius typis datas, & ob earum præstantiam a Francisco Incontro Florentiæ Archiepiscopo pro sua Diæcesi iterum evulgatas. Frequenter etiam ad populum suum familiam habuit non minus pias quam graves: vitia etiam in vulgus gliscerant, morumque corruptelas ob eximiam militatem sibi soli tanquam unicæ causæ attribuit, & sceleratos, si vel integritas pudoris reliquias in eis adhuc prehenderat, paterna objurgatione reduxit, ac propria sua peccata non rursus palam confessus, populum, ut sibi ignosceret, veniamque a Deo exorasset, perdemisse efflagitavit. Ceterum præsertim mirifica sunt, quæ in gregem commissum diffudit pietatis ac misericordiæ exempla; ipse sacrum Viaticum ad infirmos pauperes detulit, morientesque piissimis adjuvit officiis, egenis quoque tam liberali manu, tamque effusa stipe opitulatus est, ut ipso Regem regente nemo miser esset, nulli esse voluit. Hæc fuit perpetua ejus pietatis ratio, hæc vigilantissimi Pastoris sollicitudo, qua gregem suum nunquam nisi invitus & a Papa jussus delegerat.

cum enim Ecclesiasticarum legum scien- Sæc. XVIII.
 tia longe præstantissimus esset, occur- A. C. 1741.
 rentibus causis longe gravissimis non
 raro Romam a Papa evocabatur, ut
 suam quoque proferret sententiam: ejus
 quoque consilium expetebatur, dum Hi-
 spaniæ Regina Ludovico Filio suo vix
 decenni puero Toletanum Archiepisco-
 patum concedi postulabat; ubi Lanfre-
 dinus imperterriti pectoris libertate
 pronuntiavit, id sine conscientiæ & SS.
 Canonum læssione indulgeri haud posse.
 Quoniam vero Clemens XII. hujus Præ-
 fulis operam Romæ vel maxime neces-
 sariam esse censeret, concessa Mediola-
 nensis Ducatus Abbatia, ac dimisso E-
 piscopatu illum Romam accersivit, eum-
 que Congregationi de immunitate Ec-
 clesiastica præfecit, ubi in causa Ma-
 rinæ reipublicæ, uti supra relatam, Vid. T. 76.
 suum suffragium scriptotenus tulit. p. 399.
 Mortuo Clemente XII. ad S. comitia
 nonnisi invitus ac indicta gravi pæna
 accessit, ibique nulli parti favens, so-
 lius conscientiæ suæ rationem habuit,
 hinc propriæ suæ electioni nullam ma-
 gis obsistentem expertus est, quam se-
 metipsum. Eapropter a Benedicto
 XIV. tam singulari amore, atque exi-
 stimatione colebatur, ut ipsum Visita-
 torem Generalem Nosocomii ad S. Spi-
 ritum & Præfectum Fabricæ S. Petri
 F f 4 no-

Sæc. XVIII. minaret, eumque novæ adscriberet
A. C. 1741. Congregationi, quæ ad discutiendam
 doctrinam & mores eorum, qui ad E-
 piscopatus nominandi essent, erecta fue-
 rat. Attamen his officiis haud diu fun-
 gi poterat Lanfredinius; tot enim labo-
 ribus & curis exhaustus ac tenaci pas-
 corum dierum morbo correptus ul-
 timus familiæ suæ surculus obiit die de-
 cima sexta Maji ætatis anno sexagesimo
 primo nondum exacto: sepultus est in Ec-
 clesia SS. Joannis & Pauli, ipso summo
 Pontifice justis exequialibus unam
 S. Collegio præsentem. Scripsit ex aliis
 hæredes Sacerdotes Missionarios, quibus
 etiam Florentiæ agentibus bona in
 Agro Florentino reliquit, ita tamen
 ut eorum usumfructum Octavia ejus be-
 ror habeat, post ejus tamen obitum hæ-
 bona Missionariis restituerentur. Inge-
 nii sui monumenta posteris reliquit
 duas elegantissimas orationes, quas in
 S. Collegium habuit, quarum primam
 anno 1724. in funere Innocentii XIII.
 alteram vero sexto post anno pro e-
 gendo novo Pontifice peroravit. II. In-
 ris responsa, quæ Josephus Ferronus
 Archiepiscopus Damascenus collegio
 atque ad prelum promovit. III. Nova
 editionem Concilii Tridentini castigat-
 tissimam & ceteris hucusque editis præ-
 stantior, quam etiam adjectis Pro-
 trum

trum subscriptionibus, doctissima ad Lectorem prælatione, notisque succinctis quidem, sed eruditissimis locupletavit: hanc in rem scribit doctissimus Præsul Marius Guarnaccius in vit. Pontif. & Card. tom. II. p. 684. *ipse eximii hujus laboris Author latet, quia ipse (Lanefridinius) ut in more habuit, suum nomen reticuit, ipse tamen author fuit, uti & ego harum rerum scriptor, testimonium perhibeo ex indubia instructus scientia, & Testis de visu (contubernalis enim eram cum eo, & ex munificentia Ducis Magni Etruriæ in eodem Palatio Medicæo morabamur.)*

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

§. XXVII.

Bartholomæi Ruspuli Cardinalis decessus.

Ejusdem Mensis die vigesima prima eandem æternitatis viam ingressus est Bartholomæus Ruspulus ex præclarissima Romanorum familia die vigesima quinta Augusti anno evoluti sæculi nonagesimo septimo natus. Pater ejus erat Franciscus Maria Princeps Cervetri, Mater vero Maria Isabella Cæsia Ducis de Aquasparta Filia, lectissima sane Matrona. Horum cura puer Nobilis prima Religionis pietatisque ac literarum fundamenta posuit in

F f 5

pa